

# **Landesbibliothek Oldenburg**

**Digitalisierung von Drucken**

**Ad Memoriam Anniversariam ... Rvdolphi Ferdinandi  
Liberi Baronis De Silverstein Et Pilnickav Haereditarii In  
Klein-Eila Craschen Pavsén Davber Bvchwalde Et Barg**

**Sylverstein und Pilnickau, Rudolph Ferdinand von Sylverstein und  
Pilnickau, Rudolph Ferdinand von**

**[Leipzig], [MDCCXXXVII?]**

**VD18 13538446**

**urn:nbn:de:gbv:45:1-15006**

33

A D

MEMORIAM ANNIVERSARIAM  
 VIRI PERILLVSTRIS  
 D O M I N I  
 RVDOLPHI FERDINANDI  
 LIBERI BARONIS  
 DE SILVERSTEIN ET PILNICKAV  
 HAEREDITARII IN KLEIN-EILA CRASCHEN  
 PAVSEN DAVBER BVCHWALDE ET BARG

D. XVII. APRIL. A. MDCCXXXVII

HORA X

IN AUDITORIO THEOLOGORVM

RECOLENDAM

MAGNIFICVM RECTOREM ACADEMIAE  
 ILLVSTRISSIMOS COMITES  
 GRAVISSIMOS PROCERES VTRIVSQVE  
 REI PVBLICAE  
 GENEROSISSIMOS AC NOBILISSIMOS ACADEMIAE CIVES  
 DECENTER INVITANT  
 TRIVM SVPERIORVM ORDINVM  
 DECANI, SENIORES, ET RELIQVI ADSESSORES

*In Col. M. 3.*



MEMORIAM ANNIVERSARIA


AD

AD

AD

AD

AD





Si qua est virtus, in qua colenda tres nobis leges coniunctim obseruandae sunt, vt neque amoris, neque iustitiae, neque prudentiae officium negligamus, illa omnium maxime est liberalitas ac beneficentia, qua nihil est in hominum societate melius ac praestantius. Amoris vim nouimus eam esse, vt vtilitati et nostrae, et aliorum communi, non quae videatur esse, sed quae sit vera recteque cognita, vt huic igitur vtilitati efficiendae atque augendae studeamus. Iustitia hoc omnino a nobis postulat, vt suum cuique tribuamus, ideoque ea cauendum nobis imperat, ne quid iniuria partum in vsu eorum, quibus maxime cupimus, conferamus, ex alieno liberales, atque eo ipso, quo hominum alteri profuturi simus, alteri nocituri: namque nihil est liberale, quod non idem sit iustum<sup>a)</sup>. Prudentiae proprium munus est adcurata consideratio omnium rerum circumstantium, ex quibus conicere et iudicare nos oportet, an, et quo pacto, feliciter atque ex sententia rem gerere valeamus: danda igitur opera est, vt et modum in re quauis seruemus, et medium, quod dicitur, ex pluribus optimum cum proposito comparemus, et opportunitates idoneorum ad agendum locorum ac temporum nunquam non curae habeamus. Ita est enim, vt ait ENNIUS: *Bene facta, male locata, male facta arbitror.*

Nemo quidem sapiens vnquam dubitauit, quin agere quemque, quidquid agat, considerate deceat. Ergo in beneficiis etiam collocandis prouidendum est, ne quid inconsulte ac temere faciamus. Prius igitur, quam decernamus, quid nobis sit constitutum, necesse est, vt cum ea animi parte, in qua inest ratio et consilium, deliberemus. At nemo tamen mirabitur, nemo, re bene putata, improbandum censebit HVGONIS GROTIJ iudicium, quod conueniat interdum sine consilio in dando munificum esse, nec semper deliberationem huius actionis suscipere. Sic ille commentatus est in hoc SALOMONIS effatum, in eo libro, qui *Cobeleth* inscribitur, cap. XI. v. 3: *אִם-יִפְלֵ עַץ בְּרִירָה וְאִם בְּצַפּוֹן מִקּוֹם שִׁיפּוֹל הָעֵץ שֶׁ-יִהְיֶה שָׁמָיִם*. De cuius dicti sententia interpretes multum inter se dissident ac discordant. Vulgaris quidem fert opinio, significari immutabilem hominis exanimati conditionem, quod videlicet mortuus, instar succisae arboris, in quo quisque statu ex vita discesserit, in eo sit perpetuo permanens. Quo sumto, existimant his in verbis magnam inesse vim argumentationis, tum contra propugnatores commentitii ignis, quem adpellant purgatorium<sup>b)</sup>; tum vero aduersus eos, qui antiquum ORIGENISTARVM errorem ab orco reuocarunt<sup>c)</sup>. Ista vero interpretatio, si ita simpliciter atque in vniuersum, sine vlla determinatione, proferatur, omnium minime congruit cum tota verborum serie et cohaerentia. Putaueris fortasse, copulationem rerum, diuino hocce scripto comprehensarum, non adeo scrupulose inuestigandam esse, quin immo multas tractari res, tam varii argumenti, vt ab alio in aliud delabatur oratio. Primum, quis tibi illud persuasit?

A 2

aut

a) CICERO *de offic.* L. I. cap. 14. Praeclare AMBROSIVS, *de offic.* L. I. c. 30. *Opp.* T. II. p. 39. edit. Monach. Bened: *Non probatur largitas, si quod quis alteri largitur, alteri extorqueat, si iniuste quaerat, et iuste dispensandum putet; nisi forte, vt ille Zacchaeus, reddat prius quadruplum ei, quem fraudauerit.*

b) vid. ANDR. PRVECKNERI *vindic.* S. P. II. pag. 441.

c) Leg. Magnif. DN. D. IO. GEORG. WALCHII *Einleit. in die Streitigk. der Ev. Kirche*, P. III. pag. 312. seqq. Cautio adhibenda est, de qua sapienter nos admonuit b. FRANZIVS in libro, quem scripsit *de interpret. Sc. S. orac. XCIII: Si quis, inquit, in alium usum his metaphoris sacris uti voluerit, poterit quidem hoc facere, modo id faciat cum praemonitione tali: Quod in hoc loco de beneficentia praestanda loquitur Salomon, hoc ego de vita hominis dicere potero. Sed prior significatio est nativa; itaque probationis loco allegoria arboris non debet adhiberi: allegoriae enim non habent firmitudinem probationum. -- Sic ex hoc loco non possunt probari duo loca, non plura, caelum, et infernus, contra purgatorium Pontificium. Hanc nobis regulam adcurate praescripsit *Apo-logia August. Conf.* pag. 259: *Constat, quod allegoriae (eiusmodi saltem, quae vocantur illatae, atque ex interpretis ingenio fictae, non innatae, contextui integro et menti auctoris verborum aperte consentaneae) non pariunt firmas probationes.**

aut cui tu illud facile probaueris? Deinde, fac, ita esse: tamen non erit credibile, Scriptorem sapientissimum ab hoc ad illud transilire magis, quam transire, resque diuersas tanto inter se distare interuallo, ut illud, quod deinceps differendum sit, nimis longe ab eo, de quo dictum fuerat ante, sit remotum. Nec, nisi euidentissima ante oculos obuersentur indicia, rerum discrepantia statuenda est; sed contextus semper habenda est ratio, quo usque fieri potest, tum maxime, cum non ea solum, quae textum praecedunt, verum etiam quae eum proxime sequuntur, praeclare inter se connexa et apta videamus. Sine controuersia versu 1. et 2. Vir diuus hortatus erat omnes, qui opibus valerent, ut beneficia quibusuis egentibus largirentur. Et, quae priorem partem versus tertii constituunt, verba, אִם-יִמְלֹאן / העכים גשם על-הארץ וירוק largitioni multo magis, quam morti, sunt adcommodata. Haud aegre etiam versus quartus poterit cum eodem sermonis argumento conferri<sup>d)</sup>, immo etiam quintus; de quo utroque exponemus infra. Nulla igitur ratione adparet, quo modo nunc in mentem venerit Regi, diuinitus illuminato, ut de statu demortuorum hominum semper eodem, et beatorum quidem sempiterna beatitate, damnatorum autem nunquam speranda restitutione, ipse loqueretur. Veri est similior sententia eorum, qui, continuationis verborum rerumque non prorsus negligentes, putant Salomonem nobis contemplationem mortalitatis commendare voluisse, quoad ea quidem esset argumentum mouens nos impellensque ad beneficentiam, non in crastinum differendam. Studium semper adfit efficax, cunctatio absit. In maximo enim vitae discrimine tarditas ac procrastinatio, ut odiosa est, sic periculosa; quum quotidie animum subire debeat cogitatio, impendere fatum supremum, aut instare iam plane, aut certe adpropinquare. Inferuiamus aliorum commodis, dum vituimus! Mortui nihil valemus efficere fructuosum; quem ad modum arbor, adhuc erecta, hominibus de via fessis umbram praebet fructumque, excisa ac detruncata prodest nemini, nisi struem colligenti lignorum, igni consumendorum<sup>e)</sup>. Haec illorum commentatio confirmari forsitan possit, atque illustrari simili quadam loquutione, qua usus est PAVLVS<sup>f)</sup>, iucunda nimirum translatione ducta a frugibus, ex terra natis: *Αγαθόν ως καιρόν έχομεν, εργαζόμεθα το αγαθόν προς πάντας.* Id confer. cum Pl. I. v. 3.

At maiori tamen probabilitate se nobis commendat coniectura eorum, qui translatae huius dictionis sententiam nullo modo ad hominis obitum, sed omnino ad beneficentiam pertinere censent. Id vero non vna omnes eademque ratione explicant. Varias variorum explanationes adhibentur interpretum, quorum alii dictum illud ad

d) Tollitur quippe dubitatio quaedam, et scrupulus euellitur iniectus parcis ac tenacibus homunculis, utpote quos opum tenacitas nimium facit suspiciosos. Perinde habebimus, siue hanc adsumeris sententiae expositionem, quae est THOMAE CARTWRIGHT: *Occupatio est (ut eius utamur verbis) ab adiuncta inopia, quam beneficis perferet, si in alios largitione utatur; hominum enim infidelitas foecunda admodum est in rationibus excogitandis, quibus in dando promittuntur rotundat: Siue malueris interpretari hoc modo, ut placuit IOANNI COCCEIO: Praetextus adimitur cum ignauiae, tum tarditati ad benefaciendum, a iactura commoditatis, quae est in expectatione eius, quam comitatur iactura ipsius boni. Parabolice proponitur ea ratio: Qui seruat, hoc est, obseruat, ventum, timens seminis dissipationem et confusionem, vel ventum genialem expectans, inimicum vero germinationi vitans, nihil seminabit. Sensus est: Saepissime fit, ut, dum differtur opus ob alicuius incommodi praesentiam, et alia opportunitas expectatur, occasio bona omittatur.*

e) Et hanc quidem communem Doctorum, praesertim veterum, explicationem, atque adeo veram esse dicit MART. DEL RIO, in *adag.* S. P. II. pag. 447. Quod vero addit, ex PATRVM quorundam opinione, *per austrum, qui est calidus ventus, designari quietem paradisi, per aquilonem, qui est frigidus, inferni supplicium*, id abundantiae ingenii, ad fingendum procliuius, tribuendum est. Quod ad rem ipsam attinet, de ea non ab illis interpretibus dissentient b. LUTHERVS nostrer, b. GEIERSVS, et complures. Prope ad eos accedit b. CALOVIUS, in *bibliis illustr.* vbi suffragatur HIERONYMO, cuius haec sunt verba: *Tu, quasi lignum, quamuis longaeuus sis, non eris in perpetuum, sed subito ut ventorum, ita mortis tempestate subuersus, ubicumque cecideris, ibi iugiter permanebis, siue te rigidum et trucem, siue clementem et misericordem, vitimum inuenit tempus.*

f) in *litteris ad Galatas, cap. VI. 10.*

ad beneficium hominem referunt; alii ad eos, quorum egestati diuitem beneuolentia defuit, et quibus non liceat accepto quodam beneficio gaudere ac frui; nonnulli denique enuntiati vim totam ad ipsum beneficium spectare existimant. Qui in primo sunt genere, eis per placet haec sententiae expositio: sicut arbor cadens, quoquo ceciderit, iaceat necesse est; ita tibi benigno destinata manebit remuneratio, qualiscunque demum fuerit, siue dignus, siue indignus, in quem tuam contuleris benignitatem. Ea mens est PISCATORIS, et, quem ad modum MERCERVS loquitur: *Vt arbor, quocumque loco ceciderit, ibi inuenietur; sic beneficium egeno, aut digno, aut indigno, collatum, vtile erit benefactori, vt Salomon supra dixerat de pane, v. 1.* Infolens profecto, nimiumque contorta comparationis ratio! Ecquis vnquam putarit, vtilitatis fructum, quem quis ipse percipiat, conferri posse cum arbore, non sibi certe, sed animantibus vtili, ac ne quidem cum eius fructibus, sed cum trunco ac stipite exciso, ramisque defractis, nullos vnquam fructus in posterum laturis? Aliter sentiunt, quibus secundam classem adsignauimus. Horum iudicio cum arbore cadente comparatur pauper, ob denegatum sibi subsidium, ad vitam necessarium, fame confectus, qui, si mortuus semel fuerit, non poterit vnquam sera beneficentia in vitam reuocari. Sic disceptationis arbiter fuit PINEDA, de quo CORNELIVS a LAPIDE mentionem fecit. Atque etiam hanc similitudinis ad commodationem nimis longe repetitam esse, quis non satis perspiciat? Reliquis igitur, quos tertio nominauimus loco, videtur Salomon hoc sibi voluisse: opulentos homines decere prompto atque alacri esse animo, ad beneficia vni eorum cuique, qui essent egentes, impertienda, vt his illi liberaliter ac sine vlla mora largiantur, nec delectum adhibeant, aut inquisitione atque inuestigatione meriti, aut suspicaci coniectura, quorsum id casurum esset, vtrum bene beneficio vteretur, nec ne, cui illud fuerit tributum. Ita iudicat HVGGO GROTIVS, et iam dudum ABENESRA eundem fere ad modum pronuntiauit.

In tanta sententiarum varietate, quamuis anceps sit disputatio, tamen non prorsus erit desperandum de eligenda ex tam multis vna, prae ceteris admodum probabili, quae et sermonis contextui integro, et rei, de qua agitur, naturae ac proprietatibus, magis, quam vlla alia, sit apta et conueniens. Principio illud arcte tenemus, quod b. FRANZIVS l. c. legibus adcuratae interpretationis congruenter praecepit: *Videat lector ordine cohaerentem harmoniam in prioribus sex versiculis.*

Certum est, atque extra omnem positum controuersiam, auctorem diuinitus doctum, versu 1. et initio versus 2di, ad liberalem beneuolentiam cohortari homines, opibus praeditos. Quae consequuntur, vsque ad septimum versum, commode possunt intelligi, quod sint partim incitamenta huius virtutis consideranda, partim impedimenta superanda, et scrupuli ex animo eiiciendi. Argumenta, quae plurimum valent ad incendendum studio animum, duo sunt praecipua. *Vnum* ducitur a communi mortalium calamitate, in qua fortunae vtriusque vicissitudo adparet, versus 2di parte altera: *כי לא תרע מה-יהיה רעה על-הארץ.* Scilicet tantae sunt, tam crebrae, tamque inopinatae temporum mutationes, vt nemo praesentire queat, quam mira rerum conuersione subito ex diuite pauper, contraque ex paupere diues fieri possit, vt, qui facultatibus nunc instructus sit, ad bene alteri faciendum, is ipse aliquanto post alterius benignitate indigeat. Vid. 2. Corinth. VIII. 13. 14. Ergo, quod vos quidem ab aliorum beneuolentia exspectare potueritis, ad id similiter aliis tribuendum paratissimi estote. Matth. VII. 12. *Alterum* arcessitum est ab vbertate amoris, qui quo purior et candidior esse solet, eo est propensior ad operam cuique praestandam, sicut nubes aquarum plenae pluuiam large copioseque effundunt, et ita quidem, vt nulli non id contingat, improbo homini aequae, ac pio, versu 3. *אם-ימאלו העבירם גשם על-הארץ יריקו.* Nostri autem est officii, vt diuinae bonitatis simus aemuli atque imitatores, Matth. V. 45. Hinc vir, diuino spiritu impletus, progreditur ad ea, quae liberalitati impedimento sunt, tenacitatis irritamenta. Sunt nimirum duae opiniones praeiudicatae, quarum altera quidem est commodioris temporis exspectatio; altera autem, desperatio euentus

exoptati, et nimia aegritudo hominis, Deo diffidentis. Quantum ad *priorem* illam; meminisse nos oportet, quam fallax sit hominum suspicio, et quod periculum sit, ne omnem amittamus occasionem, si eam, quam nunc sumus nacti, arripere nolumus; quem ad modum agricola multum falleretur, si ad suum ipse opus cunctanter vellet adgredi, cum tempus adfit, aut sementem faciendi, aut metendi, etiam si turbulenta tempestas imminere videatur, versu 4: שמר רוח לא יזרע וראה בעביר לא יקצור. De eo b. GEIER vs ipse nobis cum consentit. Huic *posteriori* opponitur diuina prouidentia, qua mundus administratur, versu 5: לא תדע את מעשה האלהים אשר יעשהו את הכל. *Hoc est*, interprete GEIERO: *ignoras modum rationemque diuinæ gubernationis, circa felicitum vel aduerforum immiſſionem, circa opum tuarum, quibus tantopere metuis, vel incrementum, vel decrementum, circa tuos haeredes, quibus adeo cupis prospexitum, circa tuam vitam, cui in longinquum reponere cogitas subsidia.* Et, vt TIRINVM quoque audiamus: *Nescis opera Dei miranda, circa diuites et pauperes, quando v.g. irritos reddet labores diuitum, bene dicet conatibus pauperum.* Ex quibus vniuersis tandem hoc efficitur confectarium, versu 6: בבקר זרע את זרעך ולערב אל תגחירך כי אינך יודע. אי זה יכשר הזה ארזה. (Plane ita, vt PAVLLVS in simili sermonis argumento nos hortatur: *καλον ποιειντες μη εκκαταμεν*, Galat. VI. 9.) *Sensus est* (liceat nobis et haec GEIERI verba vsurpare): *Beneficus, tot diuersis beneficia conferens egenis, incertus semper fluctuat, quodnam illorum recte collatum sit, quisnam illorum egenorum, instar agri boni, recte susceperit commissum semen digneque. - Quapropter dat et huic, et illi, et isti, quo, si male forsitan collatum sit hoc, melius tamen cedat illud, aut istud.*

Quae quum ita sint, videntur nobis haec verba, in quibus potissimum explanandis versamur, prorsus ad id aptata esse, vt significetur magna animi incitatio atque alacritas, coniuncta cum immutabili constantia ac beneuolentiae perpetuitate. Promptus esto semper, ardensque cupiditate benefaciendi, omni animi impetu ac festinatione, quisquis sit auxilii inops, aut quocunque loco ac numero habendus, אבן יפל עץ כררררר. Nec tui te beneficii poeniteat, tamen si illud, non tua culpa, sed accipientis vitio, male esset locatum; quem ad modum arbor, vi ventorum agitata, vehementerque inclinata, et prope iacens, prociuius cadit, atque etiam immota iacet, vbicunque terrarum fuerit deiecta, מקור שיפור העץ שיהיה. Talem ac tantam esse decet *πεσοθυμωσθαι*, qua nihil magis laudi ducitur. 2. ad Corinth. VIII. II. 12.

Itaque non addubitamus, num recte arbitratus sit GROTIVS: *Significari hoc pro- uerbio eas res, in quibus delectu non sit opus. Neque enim qui arborem excindit, multum curat, in quam partem ea cadat, nihil enim refert* (nisi multitudo arborum in silua densa illud postulet, vt homo prouidus, arborem quamdam cum cura excindens, caeteris parcat): *sic etiam beneficia minor a velut caeca manu spargenda sunt.* Scite cauteque dixit Vir summus, de *minoribus* dumtaxat beneficiis, non de omnibus, id esse intelligendum. Minora sunt huiusmodi, quorum ex fructu miserrimi mortalium, qui alimentorum indigent, tantum consequuntur, quantum necessitati in praesens sufficiat. Nam quae adeo sunt necessaria, vt metuendum sit, ne vel minima mora periculum ingens adferret, in eis et superuacanea foret deliberatio, et maxime pernicioſa. Necessaria autem sunt ea, quae ad naturae conseruationem requiruntur, vt victus, vt amictus, vt medicina, valetudini confirmandae adhibenda, auxiliumque ferendum homini cuique, in extremum paene discrimen vitae adducto. In his, et quae sunt huiusmodi, nec hominis erga nos animum, nec vlla eius merita, considerare nos humanitas iubet. Calamitate presso subueniendum est, quisquis fuerit ille, etiam si ea dignus, sed fortasse tamen correctionem nondum omnem respuens. Satis est, hominem esse, cui nihil denegandum est eorum, quae humanae naturae sunt communia. Ief. c. LVIII. 7. conf. cum Prouerb. XXV. 21. Rom. XII. 20.

Multo aliter sentiendum erit de eis rebus, quae ad bene beateque viuendum, ad decernendum alicui honorem, ad amplificandam fortunam pertineant, et quibus se adiuuari velint quidam prae caeteris, illi nimirum, qui laudabili conatu in id incum-  
bunt,

bunt, ut a tenui initio procedentes altiorum gradum adscendant. Quod igitur ad ea attinet subsidia, quae ex isto sunt genere, tantum abest, ut virum sapientem deceat, repentino quodam, quasi vento arborem prosterrente, impetu animi incitatum, sine consilio atque optione bona sua dispertire, ut iudicio potius et considerate deferendum alicui sit beneficium. Quod enim non omnium commune est, sed singulare atque eximium, in eo delectum quemdam habendum, ob eam ipsam causam, quod singulare quidquam atque excellens esse debeat, recta nobis ratio praecipit. Quocirca vir beneficus, adhibito deliberandi spatio, primum aestimabit ac ponderabit praestantiam muneris, ad quod aliquando obeundum praeparandi sint discipuli, in quos suam ipse beneficentiam velit conferre; et quo nobilius illud vitae genus iudicauerit, quo grauius etiam, difficiliusque, eo plus eis tribuendum putabit, qui se in disciplinam tradiderint. Non dubium est, quin is, qui animum ad litteras discendas adpulerit, longe illi sit anteposendus, cui constitutum sit, fabri lignarii exercere artem, aut in officina ferraria aetatem operamque conterere, ad quam etiam natus ille videatur. Deinde mensuram perpendet virium, quibus et quantis instructi sint artium alumni, quos sua ipse beneuolentia complectatur. Mente futurorum euentuum prouida augurabitur, an bene de eis sperare, immo confidere possit, fore, ut sibi non desint ipsi, et large sibi donatis bonis haud peruersae ad profusam luxuriam utantur, sed recte omnino ad doctrinae usurpationem: est enim hoc maxime praecauendum, ne obsit magis, quam prodest, benignitas, et eis ipsis, quibus benigne cupiamus fieri, et reliquis, in quos quidem negligentes fuerimus, at apud quos tamen rectius collocatum fuisset beneficium <sup>g</sup>). Quam ob rem hoc debet esse propositum, ut in beneficentia delectus et egestatis sit, et dignitatis, quarum si alterutra adsit, dignitas haud dubie plus habebit ponderis, quam egestas; si utraque, tunc nihil erit desiderandum amplius. Illud quidem est officii, ut quisque maxime opis indigeat, ita ei potissimum opitulari. Verum tamen, non qui caret facultatibus, sed qui eas, quibus ipse careat, aliorum liberalitate sibi impertiendas, bene administrare, atque in usus iustos conuertere exoptat, is demum vere indigens est existimandus. Vera igitur egestas nunquam potest seiuuncta esse a dignitate, quae, in hac quidem causa, nihil est aliud, quam bona animi indoles, non minus apti illius, quam prompti, ad efficiendum id, cuius gratia datum fuerit beneficium <sup>i</sup>). Quis prudens non se ab intempestiua largitione abstineat, si is quidem iusta suspicione vereatur, ne operam oleumque perdat? Ecquis vero bonus etiam parcat ulli, aut labori, aut sumptui impendendo, ubi spes non tenuis ostendatur? Temeraria diligentia, qua quis prodigus agrum haud frugiferum colit, tam est in vitio, quam socors negligentia, si quis avarus agrum fertilem, qui sine cultura non potest esse fructuosus, incultum deserit. Itaque virum prouidum aequae, ac benignum, oportet in deligendis idoneis iudicium adhibere, atque in eorum etiam numero dociles paucos, a discantibus multis discernere: perspicuum est enim, constatque inter omnes, quod saepius ad laudem et virtutem natura sine doctrina, quam doctrina sine natura, valeat. Ex quo plane adparet, ad suam cuiusque naturam consilium omne esse reuocandum, caeterisque anteferendos esse eos, in quibus inest naturalis quaedam animi inclinatio incitatioque, quae, si firma sit, et rationis usu gubernata, certo secum fert naturaliter homini instam atque innatam docilitatem ingenii, non propensi solum, verum etiam idonei ad illud litterarum genus, cuius in studio versantur, qui ad aliorum beneuolentiam, tamquam adminiculum, adnituntur. Consideranda sunt, quae

et

g) CICERO, *de offic.* L. I. c. 14. SENECA, *de benefic.* L. II. c. 14. *Sunt quaedam nocitura impetrantibus, quae non dare, sed negare, beneficium est. Aestimabimus itaque utilitatem potius, quam voluntatem petentium.* AMBROSIVS, *loc. cit.* *Pulcrum est, bene velle, ut profis, non ut noceas.*

i) Dignitas, qua quis se aliis commendat, dupliciter illa quidem dicitur, ut virtutem hominis, vel adhuc honorandi, vel iam honorati, nomen hoc designet: Nam etabilitas eius, qui erudiendum se magistris praebet in vniuersis partibus certi cuiusdam muneris, ad quod ipse obrinendum omnibus viribus, neque inuita, ut aiunt, Minerua contendit, dignitas adpellatur; et eodem nomine significatur fidelitas probitasque, si quis munere sibi mandato fungatur, et se ei conuenienter congruenterque gerat.

et quanta dederint virtutis specimina. In primis vero, si beneficium eo valeat, vt, qui eius participes facti sint, progressus in studiis exoptatos faciant, dispiciendum est sane, quo modo in disciplinam ingressi se eis probauerint, quos ipsi primos artium liberalium magistros, quos item viuendi praeceptores habuerint. Felix enim progressio ad ampliorem doctrinam nulla profecto vnquam fieri poterit, vbi non fuerit praeclara eius inceptio, ex qua nimirum vir non minus liberalis, quam prudens, documentum capiat, quid esset sibi ab industria ac probitate eorum, in quibus suam ipse liberalitatem extare velit, exspectandum. Desperati omnino esse videntur, ideoque derelinquendi, qui, adulta iam aetate pueri, semper in schola perditae se gesserunt, ac ne leuiter quidem litteris imbuti, earumque artium, quibus aetas puerilis ad humanitatem informari solet, prorsus rudes, sed caeca tamen cupiditate rapti, se in Academiam intrudere ausi sunt. Rectissima autem studia haud dubie omnia a pietate proficiscuntur, quae quia est virtutum omnium fundamentum, idcirco plurimum benignitatis tribuendum erit eorum vilitati, qui se in Deum, in parentes, in magistros etiam suos, numquam non eximie pios praestiterunt. Quibus rebus probe expensis, omnique temeritate remota, erit profecto gratissima liberalitas, nec virum bonum vnquam poenitebit, quid de suis facultatibus, et quam large, et quibus, donandum sit, statutum cum animo ac deliberatum habuisse. In quo tamen praecipue, quo animo fecerit, ponderandum est, atque hoc maxime curandum, vt se ipse percontetur, num rationi magis, quam voluptati obtemperet, et sua aliis bona largiatur, non tam gloria ductus, quam communi saluti rei publicae seruiens, non vt beneficus videatur, sed vt beneuoli fungatur officio. Praeclare AMRROSIVS: *Non est, ait, beneficentia, vbi nulla beneuolentia* <sup>1)</sup>.

Haec vniuersa insigni exemplo Suo illustrauit Perillustris LIBER BARO DE SILVERSTEIN, Genere multum praestans, multoque maxima virtute Nobilitatus, qui longe omnium liberalissimum Se, ac munificentissimum praebuit. Is certe, si quis vnquam, non incaute inconsulteque ad largitionem adgressus est, sed prudentissimus testamento cavit, ne ad fructum tanti, tamque incomparabilis beneficii percipiendum promiscue omnes admitterentur. Curatores illius, fortibus cuique assignandi, delectum habere iussit optimorum iuuenum, qui et dignissimi essent, et maxime indigentes, qui non sine adprobatione Doctorum, quibus antehac vsi fuissent, scholasticorum, se in hanc Academiam contulissent, qui etiam coram Ordinibus Nostris periculum suarum virium fecissent, vt vnum eorum quemque cognitum iudicarem, quantum suo quisque ingenio valeret. Quamuis vero Vir beatus, Idemque laude celebratissimus, Sua aliis data beneficia in calendario scribere minime confueuerit: hoc tamen iustam ob causam praescripsit, vt quotannis tres, ex alumnorum numero, certo quodam die, memoriae RVDOLPHI in fastis consecrato, gratum animum profiterentur. Ipsi igitur voluntati eo ipso die, qui erit XVII. Mensis Aprilis, obsequentur

**IOANNES GOTTLOB HOFMANNVS**, Lipsiensis Misnicus, Theologiae addictus, qui orationem habebit de eo: *quod Spiritus Sanctus recte adpelletur Spiritus sapientiae,*

**IOANNES FRIDERICVS CHRISTIANVS KRAVSE**, Vratislau. Silesius, Iurium Cultor, qui animum induxit, *de beneficentia, optimo optimi Viri caractere,* differere,

**CHRISTIANVS AMANDVS GEBHARD**, Lauba-Lufatus, Medicinae studiosus, *de praestantia Medicinae* peroraturus.

Quem actum oratorium vt Sua praesentia cohonestare velint, **RECTOREM ACADEMIAE MAGNIFICVM, ILLUSTRISSIMOS COMITES, SPECTATISSIMOS VTRIVSQUE REI PUBLICAE PROCERES,** vt et *Generosissimos Nobilissimosque Academiae Ciues,* omni obseruantia atque humanitate, quem ad modum decet, rogamus. P. P. Lipsiae, die domin. Quasimodog. A. R. S. MDCC XLVII.

<sup>1)</sup> de offic. L. I. Cap. 30.